QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis decimâ Martii 1718.

M. CLAUDIO VERGNE, Doctore Medico, Præside.

An salubris à labore sudor?

I.

QUI vivit, laborat; vita est indefessus labor. Labor quidem organicus, & mechanicus. Hujus laboris actor, institorque operis, solidum; opus, tritura; fructus operis, liquidorum tritus, pulsus, pressus, extenuatio. Icta solidis liquida nonnihil reflectunt. Par fluidorum est, liquidorum impulsui, resistentia. In hoc situm est constans & amicabile solida inter & liquida æquilibrium; summa omnium concordia. Magnis igitur laboribus fundata vita est, stabilita in solido; hic fons, hoc principium est movendi; id motu cietur interiore & suo: liquida verò impulsu agitantur externo. Quas liquida obeunt mutationes, colores induunt, sapores, varia trituræ unius effecta sunt; & verò dissimiles colores & sapores sæpe tritus induit rebus, & exuit. Infinitos machinæ animalis labores, & naturæ robur efficax ac vegetum demirare. Nihil est in ortu, nisi punctum saliens, turgescens atomus & erumpens, palpitans subsultansque vesicula. Principio una aut altera sanguinis guttula arctissimam inchoat circuitionem. Mollia solidorum delineamenta, mucilaginosa, depressa, sibi invicem considentia & confusa, systaltico vesiculæ motu, micare ac intremiscere occipiunt. Sese invicem quatiendo, feriendo, impellendo firmitatem contrahunt & soliditatem, tonum ac tensionem adipiscuntur, quâ vasorum parietes hiare possint, & à sedimento præservari. Tùm hujus machinulæ sanguis, materni cruoris accessu, factus uberior, undequaque premitur, obvia cogitur subire vasa, quorum vi systalticâ truditur iterùm, compellitur, usquequò alia occurant vasa, quibus tandem eò deducatur, unde propulsus est. Non igitur nisi iteratis ictibus, laboribus assiduis, rudis adhuc dùm corporis humani machina, circui-

tionis ſanguinis, quod & vitæ eſt, filum orditur, ac perficit. Circuitionis tamen labor in fœtu, eò facilior eſt & expeditior, quòd in eo cor unius ferè ventriculi uſu gaudeat. Vitam agit fœtus in utero propriam. Quantumvis tritum elaboratumve nutrimentum ad fœtum devehatur; craſſiùs tamen eſt ac nimis concretum, quàm ut concidi, attenuari, elaborari amplius non indigeat. Prælis ac tudiculis gracilioribus quidem, ac mollioribus, ſed elateris actiùs comprimentis, ac vibrantis fortiùs, quàm quæ ſunt matris, fœtus utitur. Quò autem ſubtilius atteruntur ſucci, eò faciliùs tenellis partibus adhæreſcunt. Sic prementis potentiæ vi, & incruſtationibus aſſiduis, partium omnium firma fit conſociatio, indurantur oſſa, expanduntur membranæ & obfirmantur, turgeſcunt muſculi, robuſtiores fiunt, eaſque fœtui vires impertiuntur, ut in faſtidioſa uteri clauſtra ſævire tandem occipiat. Laborem partûs fœtus aggreditur, parentem ſibi adjutricem adigit, quæ ſæpe invita parturit, nec niſi preſſa doloribus parit. Quò robuſtior eſt fœtus, eò potentiùs laborat, eò promptiùs vulvam aperit, eò felicior partus futurùs eſt. At at quæ lux ipſi orta eſt, quot & quantos, quamque inſuetos accerſit labores. Excuſſis aquarum jugo & pondere, aëris levitati & inconſtantiæ traditur. Aliud nempe intus & extrà temperandum venit æquilibrium. Plethora interim recens natus obrueretur, niſi novi fluidis occurrerent permeandi tramites, totidemque ſanguinis receptacula, eorum, quæ abolenda ſunt, loco ſuccederent. Qui parcè ac timidè pulmonem nonnullaque alia viſcera perreptabat ſanguis; hæc eadem per infinitos canaliculorum tubulos abundè penetrat, ultraque minatur omnia diluviare. Pro deſcribendo uno circuitu generali & publico, multi ſunt & privati fluidis rotundandi vortices. Quot igitur, quamque varios motûs, exerceri convenit in recens nato! Quàm multæ ſunt partium & ſingulares, & communes Provinciæ! Quanta laborum varietas & continuatio! Quales exuperandæ reſiſtentiæ! ut prioris determinationis & obſequii ſanguis haud immemor, novi & inaſſueti jugi docilis adeò ſit futurus. Neque hîc meta laborum eſt. Quo ætate magis puer creſcit ac viribus, eò ſolidiori cibo vivere aſſueſcat neceſſe eſt. Nova non fit laboris forma, duriora etiam alimenta, unius trituræ operâ, in tenuiſſimum pollinem, ac in cremorem abeunt. Non hujus laboris inſtrumentorum curta ſuppellex. Dentes molæ potentiam exæquant. Manûs habilitatem lingua imitatur & œſophagus, qui contritos & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos vi ſuâ comprimit, tranſmittitque ad ventriculum. Magnum Torcularium eſt ſtomachus, ſeu prælum publicum quo in ore tuſa alimenta, amplius, ſed ſimul & ſemel deteruntur. In hujus partem veniunt diaphragma, hepar, lien, pancreas, muſculi abdominis, atque coli pars arcuata, quæ veluti piſtilla totidem ſuprà, infrà, ante, retrò à lateribus ventriculum comprimunt fortiùs aut diverberant, vimque hujus tritoriam, quam quidem non faciunt, plurimum tamen amplificant. Quævis inſuper alia corporis pars comminutioni chyli aut lævigationi non ſegniter allaborat. Manifeſti ſunt cordis & arteriarum impulſus; indubitatæ cujuſque valvulæ tum lymphaticorum, tum venarum compreſſiones; evidentia omnium & ſingularum fibrarum molimina tonica. Quin & ipſe aër vehemens piſtillum eſt, & ob pondus & ob elaterem, comminuendo chylo accommodatiſſimus; chylus enim ab inteſtinorum exitu, quavis in parte tenuatur, uſque dum tranſpirando expiraverit. Hoc eſt unum œconomiæ

animalis negotium : hic unus in eo labyrintho labor intus. Quâvis ratione fiat, vita est ; æquabilis laboris norma, sanitas ; inordinata, morbus : omnimoda cessatio, mors.

II.

HOMO suarum rerum dominus, circuitum sui sanguinis, vibrationes, impetus, luctationes liquida impellentis potentiæ arbitrio suo non regit. Sanguis enim etsi malleis & incudi subditus, non tumultuosè obsequitur, non sediosè ; ut placida sunt, quibus urgetur, verbera ; sic nullos plagarum reddit crepitus. Conscius utique homo sibi est, à se procul esse omnem hunc laborem. Vilibus, insectorum generi animalibus natura reservavit, ut cordis sui motus dominatu suo tenerent ; duplicem respirationis actionem, transpirationem, aliasque secretiones pro nutu suo amplificarent, extenuarent, compescerent : nonnulla etiam ita vitæ imperant, ut vitâ functa, redeant in vitam. Quando quidem culpâ suâ homo spoliatus est omnibus hisce, vitæ pro libitu tuendæ commodis, queis fortè jam, pro degeneri naturæ statu, ne omni scelere suo ac perfidiâ abuteretur, utilius ipsi est carere quàm frui. Decretum est, ut labor fieret homini necessarium vitæ subsidium, & opera ipsi vita esset. Quæ in consideratione, contemplatione, affectu, cultu divini Numinis, deliciisque animi & corporis vita versata esset ; totam hanc in laboribus & afflictionibus corporis, animique curis & motibus transigere homo jussus est. Tantum potuit invehere malorum, vitæque humanæ conditionem depravare, legis divinæ, sanctæque Religionis contemptio. Inde laboris necessitas orta est, inde homo nascitur ad laborem, vitamque primùm labore sustentat, posteà alimento. Cumque victus cultusque humanus, non uti feris, in propatulo, ac sylvestribus locis ; sed domi, sub tecto accurandus esset, multa alia, præter victum cultumque tenuem, homini accessêrunt operum incitamenta & laborum. Concinnæ vestes & numerosæ, domus quæ dominum honestet suum, elegans ac bene ordinata supellex, mensa exquisitis epulis instructa, famulitium, equitium & similia, quorum ratio si hæreditate non venerit, quantis & quàm iniquis sæpe laboribus comparentur, quibus ea cordi sunt, viderint. Hæc tamen vitæ impedimenta noli spernere, nec putare parvi, si vis esse aliquid, & dicier hic est. Sunt etiam homini animi motus, sensus & impetus, quibus vincendis magno labore opus est, explendis autem maximo. Nequissima paupertas in ore impii, sola laboribus damnata esse dicitur ; at quàm multis & magnis etiam mulctantur durissima divitiarum conquisitio, miserrima ambitio, honorumque contentio. Pauperes quidem laborem corporis, pondus diei, ac solis ardorem sustinent ; at ipsis induciæ sunt quietis, feriæ intercedunt, intercalatæ pœnæ somni & securitatis usuram habent. Sordidorum verò divitum labor, quem vocari malunt negotium, nullam solido de die partem demit, perambulans in tenebris, somnos prohibet quietos ; curâ ; sollicitudine, metu distracti, quidquid omnibus abstulêre, sibi ipsi negant. Adeò verum est plus laborum impendi, ut sordidus ac nocens vivas, quàm ut integer vitæ, scelerisque purus, sive per syrtes, iter, æstuosas, sive, facturus per inhospitalem caucasum, &c. Quamlibet eligas sortem, omnibus officii muneribus proposita est vita nostra, nec est recusandus labor. Nec verum est quod dicitur à quibusdam, propter necessitatem vitæ, idcircò solùm esse homini laborandum, integris verò & fortunatis dari omnem omninò laborum im-

munitatem. Diſſoluta vanitas ! inſidioſiſſimæ blanditiæ ! labor paternæ temeritatis pœna eſt, quam ſi quis tum aliorum opibus, tum ſuis, invitiſſimo Deo, evolare ſtudet : at aliam multò majorem gravioremque ſubeat neceſſe eſt. Quæ enim homini gravior pœna accidere poteſt, quàm perpetuâ invaletudine flaccèſcere. Labor itaque eſt generale juſſum perindè ac præſidium. Juſſum quo parentis pœnæ à filiis repetuntur. Præſidium quo ſanitas conſervari, & à quovis morbo tum imminente, tum gliſcente præſervari poteſt. Et verò corporis humani machina malè feriata ceſſatione torperet, ſpirituum influxus tardaretur, languerent ſolidorum oſcillationes, malè ſubactus, aut impulſus ſanguis lentè flueret in vaſis, ſpiſſeſceret, hæreret ; niſi per laborem & corporis agitationem, humores, preſſione ad motum, ſpiritus, velocitate ad curſum, ſolida, viribus ad luctandum, intenderentur. Laboris loco, exercitationem ſubſtituere ac ſupponere juvat. Nec minus motuum agitationumve corporis ludicra exercitatio, quàm quæſtuoſus ac mercenarius labor ſæpiùs impendit ; imò plus moderationis & temperationis adhibetur in ſeriis laboribus, quàm in jocularibus hujuſmodi exercitationibus, à quibus otioſi homines recedunt, ſatietate minus affecti, quàm defeſſi. Quis etenim labor ipsâ venatione & ſphœromachiâ moleſtior ? quis operoſior, noſtriſque moribus indecentior, nocturnis horum-ce temporum choreis, & ad auroram productâ ſaltatione, in quâ teneræ virgines, juveneſque fervidi, ſimulantes chorum, alternis brachiis, manibuſque implicatis, pedibus plaudentes, tumultuosè gyrant, omnes bacchantur, quales Phrygiæ aut Thyiades, ubi audito urgebant trieterica Baccho Orgia ; lacera volitant circumtexta ſaltantium velamenta, coniſcant invicem, ac indecoro aut ridiculo caſu ſæpe concidunt. Quis inquam labor equitandi digladiandique diſciplinis aſperior ? Quis veterum curſu, luctatione, jaculatione agreſtior decerni poteſt ? Quæ omnia exercitationum genera inventa ſunt, ut non ſecus ac labor corpus moveant imprimis, agitent, ſuccutiant. Utque pro laboribus data eſſent homini ceſſanti, inerti & vacuo. Adeò labor perinde ſalubris ac neceſſarius viſus eſt.

III.

CORPORIS humani machina veluti malè materiata reſolvitur in dies, perit. Seu ſeceſſus fiat, ſecretio ac direptio earum partium quæ antea junctione aliquâ tenebantur ; ſeu, quod ſæpius fit, nimiâ ſuâ laboret copiâ. Neque plus adjectione deficientium, quàm redundantium detractione conſervatur. Ut ſegetem nimia ſternit ubertas, rami onere franguntur, & ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas ; ſic victu quotidiano adultorum hominum corpora obruerentur ; ni quantum ipſis per alimenta accedit materiei ; tantumdem ab iis ultrò recederet. Corpus humanum piſtrinum aquarum ſatis opportunè dictum eſt, cujus organa non tam ſucco farciri, quàm quidquid ipſis creditum ac pinſendum venit, totum id reddere allaborant. Uſura hujus vitæ fumus ac vapor eſt ; determinatio liquidorum, non effuſio ; extenuatio, non cumulus ; tranſitus, non accubatio ; inclinatio, non ſtatus ; fuga, non conventus ; expiratio denique, non congeſtio. Quamdiu viget ſolidum, quamdiu occillat, quamdiu peregrinos & hoſpites attrectat liquores, tamdiu vivitur. Alimenta ore aſſumpta non perdiu morantur in corpore, non tergiverſantur huc & illuc ; ſed ubique à ſolidis tuſa, tritaque, preſſa undique, & undique pulſa, in partes dividuntur, quæ

plus minùs tenues citiùs, tardiùs, feriùs, velociùs omnes brevi è corpore expelluntur. Hoc fanitatis argumentum, hæc vera concoctionis gloria exiftimata eft, habere quod ftatim poffit perire. Magnus ille ac mirabilis vaforum apparatus, aptiffima figura, partitio non temerè facta, nervofa vis elaftica, confona pulfatio & æquabilis, eo fpectant, ut circumagantur liquida, fecernantur, excernantur. Omnium evacuationum uberrima tranfpiratio. Omnia enim confluxilia, & perpaucæ funt evacuationes quæ per manifeftas vias fiunt, præ iis, quæ per occultas. Augurare plurimas vel potius innumerabiles vias, feu potius dehifcentia totidem fpiramenta, queis vaporare poffit corpus, exugi, vacuari, exonerari. Publica hæc eft evacuatio, univerfalis, continua, naturæ propria. Quidquid aliorsùm erumpit averfum eft, deflectit à via, minùs naturæ manu mittitur, quàm dimittitur. Tranfpiratio, ut quævis alia fecretio, è fanguinis gremio fit; neque currentis, neque volventis, aut depurgantis fe fanguinis, fed folidorum liquida impellentis potentiæ vi perficitur. Nutritionis perinde ac tranfpirationis materies chylus eft, qui fanguini femel admixtus, confufus vehitur, cœcis tantùm cutis fpiraminibus eliminandus. Succus eft nutritius quamdiu turgidulus fluit in vafis, quamdiu circuitionis jugo addictus eft, quamdiu materiem comminui expedit; abfolutus verò trituræ operâ, & in tenuiffimum pollinem deductus chylus, in arctiffima, quæ tum penetrare poteft, vafa excretoria compellitur; tenues evanefcit in auras, fi ad corporis peripheriam fertur; fi verò ad partium interftitia & cava, fubitæ difflationis defectu, tenuiffimæ congeruntur particulæ, fumus fit vaporofus, quo fibrarum mollities, flexilitas, facilifque occillatio recreetur. An hæc partium irrigatio, in adultis faltem & fanis corporibus nutritio dici poteft? an eadem eft nutritionis & tranfpirationis ratio? ipfiffima utique lympha eft, quæ nutriendo rorat, quæ tranfpirando vaporat. Imò alimento non amplius opus eft, ubi nullum fit ejus difpendium. Quæ cùm ita fint, tenes omnium œconomiæ animalis functionum fcopum effe tranfpirationem. Pax alta, fummaque fluidorum cum folidis concordia, facili & expeditâ tranfpiratione continetur. Species verò & forma equilibri mutatur, omnium occupatio adeft, inclinatio, impotentia, tumultus, ubi occulta hæc evacuatio defideratur.

IV.

CORPUS movere nolis, vel invitum natura compellet, otii impatiens, vaporationis indiga. Otiofos homines vide, ut mirè pandiculantes ofcitantur: Mirum fanè per molles hujufmodi ofcitationes retenti expirabilis quantum extrudatur. Sefe galli ante cantum alis percutiunt, ut meliùs perfpirent, vixque aviculæ unum roftro granum conterunt, quin fefe multiplici faltu exerceant. Sic eft quodcumque vivit, ut tranfpirare, ita movere fe neceffum eft. Eò uberior eft tranfpiratio quo fub fenfum cadit minùs, melius ipfi cedit, cui occulta eft, quàm cui manifefta. Multum inter fe diftant fudor & tranfpiratio. Cave ne res tam diffimiles eodem nomine appellaveris. Quidam tum veteris, tum novæ fcholæ Autores, varia meatuum tubulorumque genera detexiffe fe arbitrari funt, quibus unis tranfpirationem, fudorem aliis fecerni oporteat, etfi multi refragantur; omnes tamen conveniunt, totius animalis œconomiæ confpiratione & concentu

fieri tranſpirationem ; ſudorem vi ac renitente naturâ penitus exprimi, læſæque ſanitatis aut ſignum eſſe, aut cauſam. Ne igitur exiſtimes ſudore augeri tranſpirationem. Secus verò ſudorem puta tranſpirationis deceſſum quemdam & cruditatem, tritus defectum & imminutionem. Quæ inter ſudandum evacuatur materia, perdita utrinque eſt, magno nempè ſolidis & fluidis intertrimento: In hoc ab inviſibili tranſpirationis materie maximè diſſimilis, quod fumus hic vaporoſus, purus, putuſve ſit chylus, exactè piſtus, comminutus, extenuatus, omni trituræ operâ, eò ut vaporare poſſit, à naturâ excultus. Sudor vero liquor eſt, è naturæ ſinu vi extractus, minimè ſubactus, crudus omninò, multo ſero dilutus, aliiſve ſuccis, ad cutis meatus ferri, neque idoneis, neque deſtinatis, immiſtus. Aliena igitur eſt evacuatio, adventitia, perverſa, intempeſtiva, eorum nempè liquidorum, quæ ad cutaneam excretionem non pertinent. Excitatus itaque ſudor eſt iniquo mancipi & conductori non abſimilis, qui vectigalia ſuo quæſtu pervertit, neque ſolum debitum non ſolvit, ſartum tectum nihil habet, ſed miſcet & turbat omnia, deſtruit, evertit, incendit. Non ſolùm quippe ſudores nutricatum partibus, viſceribus rorem irriguum ſubducunt, corpora ſiccant, vires reddunt imbecilles, ſolvunt ſpiritus, turbant humores, ſed & præcordiis quæ prima ſudoris ſcaturigo eſt, inuſtam relinquunt labem. Emaciantur equi ſub unius diei ſudore, perinde ac homines cardiaci fiunt, ſub eodem incommodo laborantes. Ut igitur facilis & expedita tranſpiratio corpori ſano firmamenti & roboris fructus affert uberrimos; ita ſudore perfuſum corpus languet, dolores artuum, rigiditates, laſſitudines conſequitur. Hinc fletus, hinc lachrymæ, hinc ſudorum aſſecla morborum cacohetes. Objicis : qui fiat, ut ſanis corporibus ſudores elici in perniciem queant; cùm diaphoreſes hujuſmodi copioſæ & humidæ ſint febrium & inflammationum curatrices; diaphoretica morborum panacea, & ultimum in deſperatis ægris perfugium; denique criſium optima ſit ſudor. Hæc populus garrit ſcilicet; hæ medicaſtrorum cantilenæ, promiſſiones auxilii, conſolationes doloris. Dictis habetur fides; adeò quiſque, in omni re aliâ dubitans plerumque, & ſibi ipſi diffidens, falli ſe in uno ſalutis negotio, facilè patitur. Dubii ſunt ſemper inter ſpem & metum ſudores, naturæ operationem ſubterfugiunt, ſigna coctionis in morbis eſſe non poſſunt, nihilque ex ſudoribus judicari poteſt. Ex hiſtoriis Pithyonis & Eraſini patet in febribus ſudores eſſe pernitioſos. In genere, in febre acutâ, qui ſæpe & multum ſudore diffluunt, miſerandi. Qui extorquendis ſudoribus navare operam & ſtudium volunt, ſanguinem incendere hos liquet, & quem ſervare volunt ægrum, letho dare poſſe. Itaque plerumque ſudores ſunt ſymptomatici, non moventis naturæ, non excernentis ad criſim, ſed exprimentis morbi, urentis ignis, & ſpaſmodicæ ſolidorum diatheſis effectum. Interdum tamen ſudationes, cum ægri levamine, & morbi fugâ, erumpere non diffitemur. Sic diarrhæâ, dyſenteriâ, vomitu, diabere, ptyaliſmo & hæmorragiâ graviſſimos aliquando morbos ſolutos eſſe vidimus. At omnes hujuſmodi evacuationes, etſi quandoque criticæ, & utiles eſſe poſſint; ſemper tamen ab inordinata fibrarum occillatione, ac deviantibus liquorum directionibus proficiſcuntur. Namque in hiſce criſibus, natura ſui juris non omninò eſt, non compoſitè, & diſtinctè ſuccos pro-

pellit; sed tumultuosè, raptim, & turbulentè ad incernicula sæpe non sua disturbat; humores determinat, non dirigit; compescendis morbi motibus, quàm suis componendis attentior. Felicissimos dicas Medicos, qui copiosissimis hisce evacuationibus meritò diffidentes, ad sedandum eretissimum, ac restituendam imprimis transpirationem quàm maximè intenti, non magnâ remediorum supellectili abutuntur, neque toti sunt in curarum sordibus

V.

SUDORES profundere quisque non debet, nisi ad summum vexatus morbo. Sudare homini benè sano, inutilis impensa & jactura est. Luxuriosi sunt, & suæ valetudinis dissoluti, quibus ad votum dies actus, si benè desudaverunt; si in locum ejus quod effluxit, multum potionis & cibi, jejunio gutture, ingesserunt. Non ut sudore corpus diffluat, jussus est labor, nisi quibus incommodo valetudinis laborandum est. Parabile est quod natura desiderat, ad supeflua sudatur. Sudatus labor, aut intempestivus est, aut nimius. Corporis motus non succorum expirationem facere debet, sed suadere. Mollis quidem placida & æquabilis est, quæ liquidorum motum regit potentia; sed monentem se, non vexantem auscultat; ministrari sibi annuit, regi se non patitur. Duci vult quò vergit natura, sensim & pedetentim progrediens, ad corporis peripheriam succos ultrò excernit minimè conspicuos. Accelerare gradum si jubes, abnuit sæpe, ardet iracundiâ, spasmum concipit, occillat perperàm, motusque promit & nisus inconditos, confusè & permixtè humores dispergit, quos discretè & electè digereret, crudumve exprimens succum, quem sudorem vocant, invita, & dolens madore curtim deturpat, quam subtili, suavissimâque aurâ abstergeret. Variâ nempe corporis agitatione & motibus assiduis sudor accersitur, naturâ verò sibi relictâ & otiosè operante, transpiratio venit: unde ad sudandum natura compelli potest, ad transpirandum vix potest. Et verò minùs inter agendum, quàm finitâ operâ, expiratur. In exercitio videlicèt & motu, succi lævigantur: & in minutissimas partes dividuntur; sed ut posteà meliùs vaporare possint, in somno, & quiete. Liquida etenim attrectatu & quassu, permixta & confusa, vix possunt, nisi pedetentim & sedato nisu, in ordinem, seriemque adduci, secerni, expediri: Unde, quò minor est corporis agitatio, eò uberior est transpiratio insensilis. Quippe cum moderato labore & exercitio firmum stet, constansque machinæ animalis æquilibrium, vigeat nativus occillationum ordo, placiditas, consonantia, æquabilitas, sanguis genuinum servet rithmum in vasis. In motu verò violento longè secùs contingit, ultrò citròque versatur æquilibrium, subsultim & inordinatè occillationes vibrant, spasmus fit universus, stringens succos & exprimens, atque in locum vaporis insensilis, humidi tamen, qui membranis mollitiem & flexilitatem conciliet, cruda confluunt, obtenduntur, tensionem solidis & duritatem inferunt. Unde secretio quævis interturbatur, & transpiratio ad horas & fortasse dies aliquot languescit; imò interdùm penitus aboletur, & cutis tota instar anserinæ pellis contrahitur. Itaque exercitium sic eligendum est, aut moderandum, ut lassitudinem, caveas & sudorem. Non sit continuus labor, non catenatus, sed idoneo quietis & otii mo-

mento temperatus, intermiſſus. Ut non eſt quies, quæ motum omnem moleſtiam judicat, ſed diſſolutio & languor : ita labor non eſt, qui ab omni otio & ceſſatione abhorret, ſed furor, ſupplicium, & jejuna aviditas. Labore uti juvat, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris. Quin etiam, ſi quis vel minùs vel plus quàm conſuevit, interdùm exerceatur, protinùs moleſtiâ evidenter afficitur. Non improviſo & rapido motu, ſed leni & meditato à pravâ conſuetudine diſcedendum eſt. Qui otio torpeſcunt, laboribus paulatim & exercitationibus aſſuefiant; ita ut ſolidarum partium potentiæ ſenſim releventur, & cæſpitantia ſæpe liquida, leni quidem, ſed continuo motu propellantur; ſolida obtineant vires magnas, moderatas tamen; liquidorum perennis ſit unda, non torrens. Rarioris texturæ corporibus, tenui cibo, potuque ſpirituoſo utentibus, exercitationes ſint faciles & breves : ut enim cæteris meliùs tranſpirant, ſic magis ipſis eſt ad ſudandum proclivitas, & promptiſſima, ſi ſudore diffluant virium reſolutio. Robuſtiſſimi homines quique viſcoſo & craſſo cibo utuntur, labores & exercitia corporis tutò ſuſtinent. Ne tamen violentos adeò dent corpore motus, aut ſudores; aliàs in diuturnas & immedicabiles corporis ærumnas citò citiùs incurrerent, quibus omnes Athletas ſpe breviùs affici vidiſſe ſe teſtatur Galenus. Tandem nobis liceat de pernicie ſudoris vulgò indemnati, æquum tamen ferre judicium. Sudor ex ſe res mala eſt, & mali ominis, quæ non aliâ ratione bona eſſe contingit, niſi quòd nonnunquam à majori malo divertat.

Ergo non ſalubris à labore ſudor.

Proponebat Pariſiis JOANNES-FRANC. LEAULTE',
Baccalaureus Medicus Pariſinus. A. R. S. H. 1718.
à ſexta ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.